

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Vaticinia,|| Siue|| Prophetiæ|| Abbatis|| Ioachimi,|| &||  
Anselmi Episcopi|| Marsicani,||**

**Joachim <von Fiore>**

**Venetiis, 1589**

In vaticinia ioachimi, et Anselmi, [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-241469](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241469)



IN VATICINIA  
IOACHIMI, ET ANSELMI,  
PASCHALINI REGISELMI  
Adnotationes, & Animaduerfiones.



Pag. I. *Vaticinia Abbatis Ioachimi, &c. & Anselmi, &c.*



MANUSCRIPTORVM exemplarium ope fretus id semper mihi visum hæc solius Ioachimi esse Vaticinia, & non continuata serie expleri, vt quidam volunt, nos id aliquibus in Vaticinijs nunc demonstrabimus. Sed, quod instat, agamus. Quidam liber excerptorum manu Dominici Mauroceni, qui anno 1454. in viuis erat, ea Rabano tribuit. Græci recentiores sub nomine Leonis sapientis Imperatoris quondam Constantinopolitani circumferunt, pulchra efficta fabella, etiamnum extare Constantinopoli dicentes columnam quandam, in qua omnia incisa habeantur, verum imaginibus non ad eundem modum penitus se habentibus, sed paulo aliter, & referentibus quosdam futuros successus Iambicis carminibus (si dijs placet) expressos. Percontatus sum peritissimos viros, & clarissimos, qui Constantinopoli diu fuere, ipsi hæc non modò risere, sed etiam asseruere nihil  
extare

IN VATICINIA.

extare nec in Hippodromo, nec alibi, etsi columna quædam ærea tribus serpentibus mutuo connexis fabrefacta, & in superiori parte capita exerentibus cernatur. Cuius & Petrus Gylius Gallus diligentissimus scriptor meminerit in sua Constantinopoleos Topographia, illam his verbis describens. lib. 2. cap. 13.

Extat etiam in eodem ordine altera colūna ærea, striata, non quidem canaliculis rugas matronalium stolarum referentibus; sed spiris trium serpentum, inter se circumplacatarum, non sursum versus directis, sed tortis in modum tororum. Quos valde eminentes expriment magni funes, & desinentibus in caput triceps trium serpentum, quarum capita in triquetram formam disposita longè eminent, supra columnæ torosum scapum. Quamobrem fuerit hæc columna posita, Constantinopolitani multa fingunt, sed nugatoria omnia, ignorantes maiorum suorum Historias. Inter quos Zosimus scribit Constantinum magnum in Hippodromo statuisse Apollinis Delphici tripodem in seipso habentem ipsius Apollinis statuam. Sozomenus Salaminius adiungit, Constantinum non modò tripodes Delphicos in Hippodromo posuisse, sed etiam celebratissimum tripodem, quem Pausanias Lacedæmonius, atque Vrbes Græcæ post bellum Medicum Apollini Delphico consecrarunt. Eusebius clarius tradit Cōstantinum in quadam Constantinopolis parte Sminthium Apollinem statuisse, in Hippodromo autem constituisse Pythium tripodem, circa quem Serpens in spiras volueretur. Ex quibus verisimile videtur tripodem illum statutum fuisse supra hanc columnam æream tricipitem, ut erat apud Delphos ex Herodoto, qui tradit ex decimis manubiarum Persicarum tripodem aureum factum in Delphis collocatum fuisse supra serpentem tricipitem æream, atque idem affert Persis ad Plateas victis tripodem aureum ibi repertum redditum fuisse Deo Delphico, insistentem supra triplicem ex ære

ADNOTATIONES

colubrum proximè aram. Similiter errant, qui putant hanc columnam nunc æream, olim inauratam, spoliatam auro fuisse à Turcis: cum multis sæculis ante Turcos aurum detractum fuerit, vt liquet ex Pausania. Commune (inquit) Græcorum de Plateensi prelio donum, aureus tripos sustentatus æreo dracone, æsque Pausaniæ ætate mansit ex eo donario integrum, auri quod fuit, Duces Phocensium amouerunt. Hucusque Gyllius. Nos suum vnicuique iudicium relinquemus, pro cōstanti oīa Ioachimi esse dicētes, & vana somniare qui aliter cēseāt, siue Græci, siue Latini homines.

VATICINIUM I.

EX satis vetusto exemplari manuscripto huiusmodi imaginem habuimus, quæ etsi differat ab impressione Germanica, nos id ratione vetustatis mutauimus: cum præsertim illud manuscriptum non tantum in imaginibus: verum etiam in Vaticinijs emendatissimum fuerit.

VATICINIUM III.

RVbum hîc expressimus ex imagine aurea tessellata in D. Marci templo hîc Venetijs, quod nobis ex libello Illustrissimus Vir ostendit: causas nunc reticemus, quas in medium afferre possemus, cur non amplius, & illa, & complures aliæ imagines non videantur, quæ non tantum Ioachimi cœlestem, diuinâq; prædicendi uim testatam faciebant: sed etiam plurimarū rerum futurarū casus clarissimè indicabant. Aliàs dabitur fortasse de his differendi locus.

VATICINIUM VI.

IN his vaticinijs ordo à quarto vsque ad septimum est admodum perturbatus in omnibus exemplaribus,  
nos

IN VATICINIA.

nos manuscripta potius, quàm impressa secuti sumus. Verùm ridendus admodum, qui gallos, & anseres somniat, nam exemplar ab hinc trecentis ferè annis affabrè depictum huius veritatem demonstravit, & detexit. Cui etiam tessellatæ imagines aureæ ædis respondent, maiori fide dignæ, quàm cuiusque testimonium, descriptio, picturaque.

VATICINIVM VII.

**S**caliger dum in hæreticum hominem inuehitur, iure reprehendit, tamquam pseudomagum. Draco. n. hîc Ecclesiæ persecutorem aliquem significat; columba verò oliuæ ramum gestans, quid aliud, quàm Ecclesiam pace diuinitas fruentem, & cuiusque minas, & persecutiones contemnentem, minimeque reformidantem, significare dixerim. Benedictum Vndecimum hac imagine expressum ait ipse Scaliger, hominem miræ sanctitatis. Equidem nulli, nisi sanctitate præstanti viro conueniebat Draconem, hoc est, persecutiones contemnere, & Ecclesiæ pacem custodire.

VATICINIVM IX.

**E**st in aliquibus aquila super claues, est columba, nos illud nostrum secuti sumus, qui coruum super claues residentem pingit, quasi innuere velit aliquem crocitan- do Ecclesiam, & eius voces pessum dare voluisse, quod tamen Agno immaculato defendente, licet atrociter, & impiè transfixo, haud successit. Sciant omnes docti, & harum rerum curiosi inuestigatores in his vaticinijs ea, quæ homines verè, & in propria forma referunt, Pontifices referre, vel quicquid magis ad hominem accedit: cætera, quæ ab eo recedunt, ad alia extra ipsos Pontifices reduci debere. Hinc perperam huiusmodi consideratio non

ADNOTATIONES

non tantum hæreticum, & pseudomagum à Scaligero reprehensum in errores traxit: sed plures se inextricabilibus labyrinthis implicauere, qui hæc ad inanes inuentiones, & futiles sui capitis cogitationes applicauere.

VATICINIUM XV.

**I**N præfatione diximus aliquos hæc vaticinia transacta, & præterita fuisse magnis, & probabilibus coniecturis asserere, alios rotæ similia circūuolui pertinaciter defendere, nobis autem persuasum est, non sibi coherere hæc ita vt coniunctè ferantur, nec ita circūuolui, vt cum ad postremū deuentum fuerit, ad primū regrediamur: sed per interualla temporum hæc suos euentus habere, & tantum maximis rerum, & successuum demonstrationibus, & effectibus expleri, & agitari. Nos etsi mathematicas demonstrationes huiusce sententiæ nō simus in medium allaturi: id tamen compertum nobis est, huiusmodi artem vaticinandi Abbatem in oriente didicisse, & numeris instructum, & fretum ea scrutatus est, quæ postea obscurè suis dictis, figurisque inuoluit. Potuissimus etiam in superioribus vaticinijs aliqua recensere ad literas numerales, & ad numerorum figuras attinentia; Verum hic locus nobis aptior visus, in quo aliquod specimen huiusce opinionis præberemus; nec miretur quispiam, si breuiores erimus, nec omnia dixerimus, quæ de hac arte differi possent. Sciant omnes, nobis satis esse nunc tantum attingere, vberius illa tractaturi, si primos hos fructus hominū gustibus gratos fuisse intelligemus. Est orientalis natio (vt rem tandem aggrediar) admodum vaticinijs dedita, huic admodum familiaris suis peregrinationibus Ioachimus Abbas fuit, præsertim Græcis, & ob linguam, quam callebat, cum in magna Græcia natus esset, in qua hodie etiā Græca verba resonare audimus. Est igitur admodum domesticum, & tritum inter  
eos

IN VATICINIA.

eos, ex principio, & sine suarum cogitationum sibi viam ad cognoscēdos futuros exitus Rythmomátia præstruere. Hæc secutus est Abbas ipse, dum quindecim imagines per quindecim numerorum curriculum protraxit. Itaq; (vt est in confesso apud omnes) cum anno 1277. incepisset per interstitia, interualla interrupta, & non continuata serie quindecies multiplici aggressione numeri illarum significationes futuras vidit, vaticinatusque produxit, sicque ex numeris, à primo impari, vsque ad vltimum imparem, vnitatem subtracta, in se ductis, numerum ducentorum viginti quinque annorum conclusit, in quibus quot, quantaque superuentura essent Dei Ecclesiæ vsque ad finem Pontificatus Alexandri VI. prædixit. Altiora speculâtes possent plura in medium afferre; præsertim cum hæc satis conueniant cum Hebræorum Secundis, siue Intelligentijs regentibus orbem, quarum Tritthemius proprio de ijs libro conscripto, meminit, interim silentio præteriens quidnam occultiores, & secretiores Hebræorū sapientes suis Ziruphim abscondant. Certè hoc nostro indicio veritatem vaticinij huius quisque peritus, & acumine pollens ex historia eruet, & facilius præcedentia intelliget, ad Pseudomagi in quem insurgit Scaliger, stultitiam, & hæresim coarguendâ, & ad seriem subsequentiū clarius constituendam, & facilius enodandam.

VATICINIVM XVI.

**C**Vidam Anselmo Episcopo adscribuntur sequentia, nos Ioachimo, alij Rabano cuidam accepta ferunt, suum esto cuiusque iudicium per me factum tectum, modò superioribus connectantur. Quorum serie eundem annorum numerum claudi censemus, quo superiora circumscripta sunt; atque ita iisdem rationibus ductis ad 1728. duci; cuius numeri in fine harum adnotationum signifi-

ADNOTATIONES

significationem partim explicabimus, dum Turcici, seu Arabici vaticinij euentum de Otthomanico Imperio peruestigabimus. Curiosi verò hoc ad Iulium II. referant: neque enim Pius III. hic annectendus, qui tantummodò paucos dies in Pontificatu superfuit, admoneanturque iterum (quod & in præfatione dictum est) nec Pontifices brevioris temporis, nec Pontificatus successibus magnorum euentuum carentes (quicquid garriant cæteri) his vaticinijs comprehendi. Hoc quoque admonitos volo, Iulium II. à duobus Cardinalibus Venetis Dominico Grimano, & Marco Cornelio, tunc conclavi præfidentibus, & maiorem votorum partem à se habētibus renunciatum fuisse.

VATICINIUM XVII.

**I**Nter plura exemplaria manuscripta vetustissimus nobis allatus est libellus, in quo decem tantum habentur delineatæ imagines, à quibusque alijs, & impressis, & manuscriptis plurimum differentes & superscriptionibus, & delineatione. Verùm quod dignum consideratione visum est, sunt in eo litteræ quædam capitales solæ, & hæc est prima imago huius Vaticinij, quæ ita pingitur. Adest Põrtifex in medio, manibus ante pectus, altera ab altera aliquantum distantibus, & sub pallio tectis, dextera paulo altius sublata, à dextera parte Rex assistit genibus flexis, utraque manu vexillum novem lilijs, quatuor in superiori parte, quinque in inferiori decoratum retinens, à læva serpens squamis tectus, & sursum versus aperto ore erectus à coruo totis viribus se uolando deijciente impugnatur, & infra ipsius Pontificis caput hæc litteræ sunt S. M. T. supra hæc verba. Coronabitur in V. Et in fine inscriptionis, seu vaticinij. Morietur in P. Viderint curiosi, quid sibi velint. Altero volumine exhibebimus hæc vaticinia decem cū imaginibus, & nostram de ijs sententiã proferemus, quam cunctis gra-  
tam



IN VATICINIA.

tam futuram, & credimus, & speramus. Etenim si non elegantem, saltem diligenter ibi multa reperientur à clarissimis hominibus numeris. & numeralibus literis conclusa, & à paucissimis intellecta, atque nunc primum à nobis tantum (quod sciamus) in lucem prolata.

VATICINIVM XIX.

**N**escio, quodnam vetustissimum exemplar Paulus Scalliger uiderit, & quid ille Pseudomagus cõfinxerit, & ad sacrosanctam Romanæ Ecclesiæ Pontificiam sedem profanandam hæreticè cõmentatus fuerit: hoc vnum scio meum illud manuscriptum ab hinc trecentis annis, (vt in eo adnotatum scriptoris manu videre licet) exscriptū, omnibus in locis, in quibus Monachi habitu inducitur imago quæpiam in vulgatis, habere Pontifices, & nos (quãquã aliter statuissemus) ex eo hanc imaginem excerpimus; præterquam quod, Regis caput, quod in eo est non corona, sed pileo tectum, & vt possimus hæretici falsitatem cognoscere, & illius versutissima, diabolicaque commenta confutare, falcis significationem addemus, quæ nil aliud significat, quàm nouam aliquam fabricam ad Ecclesiæ dissipationem adornatam. Audiant veri Ecclesiæ filij, & videant, an id septimo Clementi euenerit, & quidnam Rex, & manus incidens falce portendat.

VATICINIVM XXI.

**V**ariatio imaginis huius tanta est in omnibus libris, quos vidimus, vt præter illum nostrū, omnes errare certo certius opinemur. Est in nostro Pontifex manibus tenens librum pectori admodum, & hinc inde capita sunt pileis tecta. Atque vt aliquid curiosi harum rerum scrutatores nanciscantur, quo ingenium exercere possint, & men

K 115

ADNOTATIONES

tis acumen expolire, inscriptionem subijciemus, quæ ita in eo legitur.

Cultori vineæ de infructuosa arbore dicitur, Succide eâ, ut quid terram occupat? qui in illo loco potes ponere, quæ habet fructum. Hæc autem non habet occasionem operationis, & impedimentum præstat cæteris, quia quæcunque sub ipsa sunt, exemplo prauitatis illius, quasi umbra peruersitatis eius premuntur, & ideo peccatores super alios peccatores dominari constituit. Tu autem morieris ut canis in R. Et supra Pontificis caput, hæc verba ponuntur. Coronabitur in R, Infra caput verò hæc literæ capitales sunt. B. B. A.

Hac exprimi Martinum V. Scaliger ait. Rotæ fabricatores quidam Gregorium XIII. ijq; ex eorum numero sunt, qui sponsonibus operâ dâtes, lucrum inde expetunt, & fallaci industria conquirunt, nos Iulium Tertium hoc ænigmate descriptum à Propheta, siue Ioachimus, siue Anselmus, aut alius quispiam fuerit, constanter asserimus. Rationes non adducemus, ne longiores, quàm harum adnotationum argumentum, & communis usus requirit, simus.

VATICINIUM XXIII.

**N**illum vaticinium hoc vno clarius in toto libro habetur, si Beatissimi Pij V. sanctissimæ, & felicissimæ recordationis, vitam, mores, actiones inspexerimus. Quis hoc Pontifice sanctior, quis prudentior, quis voluntatum minus appetentior. Quàm gratus Deo fuerit, testatur reuelatio de victoria aduersus Turcas obtenta, ab eo orante habita, & hoc illud propheticum est, tu pro victoria expandisti manus. Illam quidem paulo ante vitæ finem consecutus, cum ille sexto circiter post mense in cælum translatus sit, & ita bene, & gloriosè brauium acceperit in  
fine

IN VATICINIA.

sine sceptri, hoc est, paulo ante quàm ex hac vita decederet, & ad æternam, & immortalem euolaret. Volumus dare inscriptionem, quæ in illo nostro manuscripto est: ad hunc itaque modum in eo verba sunt,

Vendentium sacra non cessabunt, & confringetur idolum Danielis, & cœnobìa ad locum pristinum redibunt, & ordines mendicantium, & aliæ sectæ plures annihilabuntur, bestia occidentalis, & Leo Orientalis vniuersum mundum subiugabunt, & pax erit in toto orbe terrarum. Tu autem vades in inferiora terræ. Litteræ, quæ infra caput solent esse in his imaginibus, hic litura deletæ sunt, & nisi vnicum C. visui offertur, & superscriptio. Coronabitur in L.

Qui lucro sponsonibus inuigilant, secundo post B. & S. Xistum V. futuro Pontifici hoc vaticinium dant, quid nos scitiamus, in sequenti dicemus. Hoc vnum innuentes, sacrificia vendentium, ad hæreticos referri, idolum, ad Turcas, cœnobìa, ad decretum Pij V. de 4. religionibus. de bestia occidentali, & Leone orientali secretiora, hoc tempore à nobis non sine causa, in custodia habenda sunt.

VATICINIUM XXV.

**H**Oc vaticinium in nostro manuscripto exemplari cū superiori ita coniunctum est, vt ad dexteram sit vultus inter duo vexilla, quorum vnum anteriori dextero pede retinet, & ad lquam hæc vrbs cernitur, manibus non supra, sed infra positus, ita vt dimidium vaticinij, vsque ad verbum annihilabuntur, ad Pontificem spectet, cuius in superiori meminimus. Reliquum verò ad Vrbeni hanc. Licet quædam verba supra eam litura deleta sint, alicuius pueri fortè manu. Essent ea animaduertenda, quæ ad literas inclusas in eo capitales facerent; at tamen tanta est illarum in omnibus libris impressis, & manuscriptis corruptio, ut nihil diuinare queamus. Nomina quoque non sunt eadem

K 2 in om-

ADNOTATIONES

in omnibus, & vltimæ illæ literæ, quæ Scaligero sunt Ca. Bo. in quibusdam exemplaribus. Io. Ab. Ia. Ba. Io. Bo. Io. Ob. Adhibeant solertes formales numeros, & se ex huiusmodi labyrintho extricent. Quid enim dicendum sit, aut coniectandum (ingenuè fateor) nihil est mihi, præter illa, quæ ex meo vetustissimo ab hinc paucis mensibus producturus sum. Videant, qui lucro inhiant ad Pontificem trans montes hoc vaticinium deferentes: nam ipse num transactum, num præfens, num futurum sit, num simplex, duplexve, susque deque habeo, & alijs perquirendum relinquo. Oblitus pene dicere nunc fueram, hunc tertium à Sanctissimo, & Beatissimo Xysto occupare locum iuxta camporum sententiam auream, argenteamque.

VATICINIUM XXVI.

**V**ellem in hoc vaticinio explicando omnes curiosi, & sapientes elaborarent: nam cum in eo contenta, & iuxta imagines, & iuxta inscriptionem in omnibus libris differentia sint, triplex tantùm à me afferretur descriptio, quæ veritati magis consona, & libris magis probata visa est. Prima sit Scaligeri. Est in illius libro Colonia Agrippinæ apud doctissimum virum Theodorum Gramineum anno septuagesimo impressum, Nudus super rupem sedens, plorans, manu ad faciem admota, & ante illum stat puer, manibus ante pectus sublatis, nudum respiciens. Liber quidam manuscriptus satis probatus monachum capite tonsio, nudumque habet, qui manu sinistra circa tempus sublata, dextera spargens nummos plorat, habetque à dextera parte scriniolum, & crumenam nummis referta, respicitque puerum ante se stantem, manu sinistra baculum retinentem, dextera pectori adhærente, & nudum mutuo respicientem. Meus verò ille vetustissimus à me tantopere in his adnotationibus adductus Pontificem præfert, sacerdotilibus vestimentis

IN VATICINIA.

stimentis indurum, latiori in super Pallio (pluuiale dicunt) adiecto, læua manu librum tenens, & dexteræ indice illum ante pectus tangens, & demonstrans. Hinc inde, à dextera quidem est Clauicymbalum, seu Monochordium, & Cythara: à sinistra vero Organum conspicitur. Inscriptionem, & literas numerales supra, & infra caput, interim prætermittam, illud asserens, hunc futurum Ponticem à me illis versibus ad Ioachimi imaginē superius additis *περίπασιμῶς* indicatum ex Vaticanij Beati Zodichi Palmerij, Iohannis Heremita, Iohannis Capistrani, & Magistri Reinhardi Ordinis Prædicatorum, quem Italum fore constanter dixerim: licet quidam contra sentiant. Hæc ad excitanda curiosorum ingenia dicta sunt, aliàs, si nostri labores grata excipientur manu, latius hæc, & maiori tum perspicuitate, tum facilitate tractaturi.

VATICINIUM XXV.

Silentio præterire decreueram hoc vaticinium, præsertim cum in eo nulla mutatio in imagine facta sit, nisi quod in alijs diademate fultum, nos absque diademate incidi curauimus; quia ita illis imaginibus conuenire videbatur, quæ adhuc ex multis pauca in æde D. Marci Venetiarum visuntur, & in quodam etiam satis diligenter manuscritto cernebatur. Sed Magistri Reinhardi carmina nos permouerunt, vt & hic perspicacia ingenia excitaremus; illa ad hunc ferè modum se habent.

*Hinc Christi dignum vibrabit Aquila signum,  
Aquila quæ fido iam caret prodita nido,  
Omnia mutabit, & cernere læta iuuabit,  
Et tandem cæco lux erit tradita seculo.*

Carminibus concors est meus ille liber toties à me in medium adductus; est namque in eo Pontifex, loco tiaræ ingentem aquilam hianti rostro, expansis alis, capite gerès,  
& am-

ADNOTATIONES

& ambabus manibus ante pectus duos paruos vrsinos ca-  
tulos retinēs, estque à læua ipsius Pontificis Cydaris, & in-  
fra caput numerales literæ maiores P.C.P. Vaticinium ve-  
rò hæc refert.

Grandis Aquila nigra surget,ocius expergifcetur; tendet  
alas, & rostrū in pingue. Hæc aquila Romanum Imperium  
ortum ex Alamania, cuius insigne Aquila nigra est. Hæc  
Aquila segregabit argentum à plumbo, de Aquila hac satis  
diximus, quòd in iudicium Ecclesiasticorum virorum da-  
ta sit. Morietur in I.

Iohannes Heremita ait. Ab Aquilone veniet, & intrabit  
sanctuarium, & Ecclesiam renouabit fratribus. Et Capistra-  
nus. Ceruleus, ac glaucus color niger fiet, mortalitas, ignes,  
cælum turbatū. Nos hæc omnia de optimo quodam Prin-  
cipe Arctoi cæli dici conijcimus; modò impostorū frau-  
dibus, & dolis haud iustè accepto: sed hæc suo tempore cla-  
rè Deus O. M. reuelabit. cætera enim silentio tegenda, &  
vsque ad tempus occultanda hominibus sunt; nam neque  
omnia, quæ scimus, aut videmus, expedit dicere.

VATICINIUM XXVIII.

**V**T clarè, & manifestè perspiciant homines vaticinia  
hæc ad futura: non autem ad præterita tempora re-  
spicere, adiungere volumus inscriptionem illius nostri ve-  
tusti exemplaris, cuius imago est Pontifex sacerdotalibus  
vestibus indutus, manibus ante pectus hinc inde pallio  
tectis, ad illius læuam descendit volans angelus ad eum lin-  
teum mundum deferens. Hæc sunt inscriptionis verba.

Exurgam propter miseriam inopum, & pauperum gemi-  
tū, & ponam salutem, & fiducialiter agam, qui deuora-  
uerunt, & trepidauerunt, vbi timor non erat. Vnde dicitur,  
quòd in templo Domini erunt nummularij, & venditores  
spiritualium columbarum, populum humilem saluum faciam,

ciam,

IN VATICINIA.

ciam, & oculos superborum humiliabo, & erit vnus Deus, & vna fides. Morietur in I. infra caput literæ. A. B. G. Qui ea ad futurum tempus spectare aſſeruerit, iſte hand male, mea ſententia, ſentiet: ſiqui erūt, quibus magis ad præterita hæc referre arrideat, primū illud ante oculos ſtatuāt, Antichriſti tempora futura, quibus hæc ventura prædicūtur, nec tantæ ſint pertinaciæ, vt ea Luthero adſcribere velint. Nos quoque Lutherum perditiffimum Sathanæ Mancipium fuiſſe dicimus; verum eò longe peſtilentioſiorem, & iniquatioſiorem Caluinum; nemo illorum tamen Antichriſtus fuit: quamuis hic poſtremus magicis etiam ſcleribus ad dictiffimus fuerit. Itaque ſaniori intellectu de futuris ſanctiffimis Pontificibus hæc intelligenda ſunt, qui Eccleſiam reſtituent, & oues Chriſti diſperſas congregabunt. Nam circa huius Pontificis tempora, hoc eſt, paulo poſt, reliquiæ Iſraelis reſpiciere incipient, & ad ſalutem, veramque veri Meſiæ Ieſu Chriſti cognitionem properabunt. Eſt hoc poſtremum vaticinium in illo noſtro vetuſtiſſimo manuſcripto: nam præter Liturarum iniurias, quas ab aliquo puero, cuius manibus permiſſus erat, forte paſſus eſt, paginæ quædam in eo laceratæ, & diſcerptæ ſunt.

VATICINIVM XXIX.

**N**Os ex æde anrea Marciana hic Venetijs, & ex quodâ manuſcripto pallium ſtellis decorādum cenſuimus.

VATICINIVM XXX.

**C**IRCA iſtius Pontificis tempora futurum Antichriſtum imago portēdit, & ad huiusmodi opinione adſtruedam plurima dicēda occurrūt: at unum illud ſatis ſit, non ab re, licet ſibi ſpiffius præſentis Chiliadis Pontifices hæreant, eundem eſſe numerum horum quindecim, qui, &  
ſupe.

## ADNOTATIONES

superiorum quindecim . Atque ita verum dignoscitur statim post septingentesimum annum calamitosa tempora subsequutura , & numerum illum annorum conclusura , quos in primo Pasuch Beresit defuturos sextæ Miriadi veteres Mecubalim deprehendere , Nam nisi breuiati fuissent dies illi , non fieret salua omnis caro , ait Redemptor , quodque ab illis obscurissimis ambagibus inuolutum , nos explicitum , ad coerendam aliquorum iuuenilem audaciã , ex Pici Mirandulani cõclusionibus in suis Mathematicis , 9. Per Arithmeticam non materialem , sed formalem habetur optima via ad prophetiam naturalem . 10. Ioachim in prophetijs suis alia via non processit , quàm per numeros formales . & 9. in suis Cabalisticis . Siqua est de nouissimis temporibus humana coniectura , inuestigare possumus per secretissimam viam Cabalæ futuram esse consummationem sæculi , hinc ad annos quingetos , & quatuordecim , & dies vigintiquinque . anno superiori 1583 . In D. Iohannis , & Pauli Martyrum æde Venetijs publicè disputandum hebraicis numerationibus proposuimus , quarum apud imperitos tantum est impugnatio . Vela tandem contrahenda sunt , interim lectores æquos , & candidos orantes , vt nobis in altero volumine vniuersæ collectionis quorumcumque vaticiniorum , oraculorum , prædictionũ , & prophetiarum ( quas vocant ) adesse perhumaniter velint , admonentes , si quid à nobis haud rectè animaduersum , negligenter adnotatum , & non satis ad amussim , & lydiam regulam reuocatum est . Quorumcumque . n . amicas castigationes , & mites ex iure , & æquo reprehensiones , vt decet , excipiemus , admitteremus , & leni animo feremus . Homines namque nos esse dignoscimus , qui errare potuimus : verum nec doctrinæ nos tantæ esse scimus , vt minimum erratum defendere velimus ; nec tantæ sapientiæ , vt non omnia nostra , & edita , & edenda Sactæ Romanæ Ecclesiæ censuræ subiecta esse nolimus .

DE